

calcifices quidam facere et alii quidam, quibus sacerdotes non debent dare corpus Domini. non enim debet esse christianus ut diabolus, qui nunquam quiescit. Sanct. 144, 1 (vgl. Studien 4, 43f.): tertium — dies sabbati, qui interpretatur ‚requies‘, est quodlibet festum requiei, quod a papa, vel episcopo in sua diocesi, indicitur, quod custodire debemus. nam, cum festum violaveris ex contemptu, ille in iudicio movebit querimoniam, de te dicens: ‚o Domine Jesu, tu coronasti me coram angelis et sanctis, Ecclesia in terra me coronavit coram fidelibus per celebrationem, quam iste abstulit, quantum in eo fuit, de capite meo per malam operationem!‘ hic nota, qualiter beata Virgo et omnes sancti et angeli et ipse Dei Filius clamabunt contra usurarios et alios peccatores in iudicio eo, quod festa eorum per peccata violaverunt. exponitur etiam sic: memento, ut diem sabbati sanctifices. sabbatum est requies. vera requies est ipse Deus, in quo jugiter requiescere debemus per dilectionem super omne, quod est in mundo. dicis forte: ‚dilige Deum‘. proba: signum dilectionis exhibitio est operis (Gregor, Homil. 30 in Evangelia bei Migne, Patol. Lat. 76, 1220). o Domine Deus, quanti dampnantur in hoc verbo! Freib. 1, 197^d: unus magnus honor est, quod hodiernum diem (sanctus, cujus festa celebramus) ornavit cum divino officio valde pulchriori, altiori, delectabiliori et sollempniori cantu et jubilatione in tota sancta Ecclesia, quamdiu vivit mundus et stat cursu anniversario. secundo honore ornavit hunc diem, hoc est, ut nullus ex contemptu hodie audeat aliquid mechanicum sive opus servitiale exercere, nec aratrum ad arandum contingere, nec fusum ad nendum etc. hujusmodi. et si quis ex temeritate contra fecerit, hic ab Ecclesia excommunicari potest. tertio ornavit hunc diem, ut nullus audeat in illo aliquatenus mortale peccare, quod nullus audeat fornicari vel ex magna superbia corizare, torneamentum exercere, ex avaritia ludere etc. hujusmodi. — ita nunc indicitur festum (sacerdos in ecclesia dicens: cras *sollempnitas Domini* est) —. melius enim vellem, quod sederent et consuerent pelles suas vel texerent vel multum peccarent, quam quod fornicantur vel chorizant, quia in hoc dupliciter peccant, quia faciunt mortale et super hoc violant festum. qui autem in die dominico laborant, multo gravius peccant, quam si in minori festo. nam tunc proprie est festum ipsius Dei. nam illa nocte